ACTA DIVRNA

PUGNA MAGNA

Pugna magna victi sumus. Haec ab notario nostro accepimus:

Hannibal quod agri est inter Cortonam urbem Trasumenumque lacum omni clade belli pervastat, quo magis iram hosti ad vindicandas sociorum iniurias acuat; et iam pervenerant ad loca nata insidiis, ubi maxime montes Cortonenses in Trasumenum sidunt. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio; deinde paulo latior patescit campus; inde colles adsurgunt.


Ibi castra in aperto locat, ubi ipse cum Afris modo Hispanisque consideret; Baliares ceteramque levem armaturam post montes circumducit; equites ad ipsas fauces saltus tumulis apte tegentibus locat, ut, ubi intrassent Romani, obiecto equitatu clausa omnia lacu ac montibus essent.

Flaminius cum pridie solis occasu ad lacum pervenisset, inexplorato postero die vixdum satis certa luce angustiis superatis, post quam in patentiorem campum pandi agmen coepit, id tantum hostium quod ex adverso erat conspexit: ab tergo ac super caput deceptae insidiae.

Poenus ubi, id quod petierat, clausum lacu ac montibus et circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat simul invadendi.

Qui ubi, qua cuique proximum fuit, decucurrerunt, eo magis Romanis subita atque improvisa res fuit. quod orta ex lacu nebula campo quam montibus densior sederat agminaque hostium ex pluribus collibus ipsa inter se satis conspecta eoque magis pariter decucurrerant.


Romanus clamore prius undique orto quam satis cerneret se circumventum esse sensit. et ante in frontem lateraque pugnari coeptum est quam satis instrueretur acies aut expediri arma stringique gladii possent.



Consul perculsis omnibus ipse satis ut in re trepida impavidus, turbatos ordines, vertente se quoque ad dissonos clamores, instruit ut tempus locusque patitur, et quacumque adiri audirique potest, adhortatur ac stare ac pugnare iubet: nec enim inde votis aut imploratione deum sed vi ac virtute evadendum esse; per medias acies ferro viam fieri et quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse.

Ceterum prae strepitu ac tumultu nec consilium nec imperium accipi poterat, tantumque aberat ut sua signa atque ordines et locum noscerent, ut vix ad arma capienda aptandaque pugnae competeret animus, opprimerenturque quidam onerati magis iis quam tecti. Et erat in tanta caligine maior usus aurium quam oculorum.

FERIAS LAETAS



'Quo proxima aestate ibimus?'

Ad gemitus volnerum ictusque corporum aut armorum et mixtos strepentium paventiumque clamores circumferebant ora oculosque.

Alii fugientes pugnantium globo inlati haerebant; alios redeuntes in pugnam avertebat fugientium agmen.

Deinde, ubi in omnes partes nequiquam impetus capti et ab lateribus montes ac lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat apparuitque nullam nisi in dextera ferroque salutis spem esse, tum sibi quisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam, et nova de integro exorta pugna est, non illa ordinata per principes hastatosque ac triarios nec ut pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies nec ut in sua legione miles aut cohorte aut manipulo esset; fors conglobat et animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit avertitque cursu rapidos amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.

Tres ferme horas pugnatum est et ubique atrociter; circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est. Eum et robora virorum sequebantur et ipse, quacumque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem, insignemque armis et hostes summa vi petebant et tuebantur cives, donec Insuber eques—Ducario nomen erat—facie quoque noscitans consulem, 'En' inquit 'hic est' popularibus suis, 'qui legiones nostras cecidit agrosque et urbem est depopulatus; iam ego hanc victimam manibus peremptorum foede civium dabo.'

Subditis calcaribus equo per confertissimam hostium turbam impetum facit obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obviam obiecerat, consulem lancea transfixit; spoliare cupientem triarii obiectis scutis arcuere.

Magnae partis fuga inde primum coepit; et iam nec lacus nec montes pavori obstabant; per omnia arta praeruptaque velut caeci evadunt, armaque et viri super alium alii praecipitantur.


Pars magna, ubi locus fugae deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus exstare possunt, sese immergunt; fuere quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impulerit; quae ubi immensa ac sine spe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus aut nequiquam fessi vada retro aegerrime repetebant atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur.

Sex milia ferme primi agminis per adversos hostes eruptione impigre facta, ignari omnium quae post se agerentur, ex saltu evasere et, cum in tumulo quodam constitissent, clamorem modo ac sonum armorum audientes, quae fortuna pugnae esset neque scire nec perspicere prae caligine poterant.

Inclinata denique re, cum incalescente sole dispulsa nebula aperuisset diem, tum liquida iam luce montes campique perditas res stratamque ostendere foede Romanam aciem.

Postero die cum super cetera extrema fames iam instaret, fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum, sese dediderunt; quae Punica religione servata fides ab Hannibale est atque in vincula omnes coniecti.

Haec est nobilis ad Trasumennum pugna.



AB URBE CONDITA

—et id genus omne

XXIX BELLUM CIVILE BREVE
vel
Sulla Rubiconem Transit

Lector: Siste! Ubinam Sulla Rubiconem transiit? Scit enim quilibet Orbili discipulus C. Iulium Caesarem Rubiconem transisse.

Paetulus: Nemo igitur alius unquam Rubiconem transiit? Sed solum figura usus sum, more scriptorum optimorum.

Lector: Omitte figuras; fabulam narra.

Paetulus: Libenter hoc faciam, si tacebis. L. Sulla enim et C. Marius viri dissimillimi erant, praecipue Marius. Nam Marius multo maior natu erat quam Sulla, quia multo prius natus est. Praeterea rudis et hirsutus homo erat, parentibus valde plebeiis.

Ne plura, L. Sullam, qui pauper sed probus erat et parentibus patriciis, magnopere oderat. Itaque ubi senatus decrevit ut Sulla bellum contra regem Mithridatem gereret, Marius maxime iratus erat: namque hoc eo tempore erat bellum quod Romani optimum pulcherrimumque habebant. Tribuno igitur cuidam Sulpicio nomine magnis praemiis persuasit ut legem ferret qua ipse bello Mithridatico praeficeretur, Sulla demoto.

SULLAE IRACUNDIA

Quod ubi audivit Sulla, ira maxima commotus, magna voce 'Quis' inquit 'me ab hoc turbulento tribuno expediet?' Et accidit ut eo tempore quinque sexve legiones secum haberet oppidum Nolam obsidentes (exercitationis, ut opinor, causa), quae ad unam omnes promiserunt se tot tribunos necaturos esse quot ille vellet. Et hoc erat Bellum Civile, et Admodum Mala Res: nam tribunos necare (nisi quidem Gracchi sunt) contra leges est.

Nec tamen Sulla bellum civile et id genus omne flocci fecit. Militibus enim suis 'Ite,' inquit, 'quam celerrime. Romam petimus.' Itaque equis pedibusque citatis Romam et tribunum turbulentum petiverunt. Quod cum Romae nuntiatum esset (scilicet a nuntio qui equo etiam magis citato iter fecerat), Marius et Sulpicius conloquium habebant:

MARIUS: Edepol! Homo insanus est. Quid nunc faciamus, Sulpici?

SULPICIUS: Si recte memini, cum Camillus eodem modo Romam cum magno exercitu peteret, senatus matrem eius amitamque et consobrinas contra eum emisit.

MARIUS (*qui non bene educatus erat*): Et quid tum accidit?

SULPICIUS: Omnes fleverunt: Camillus eluvie lacrimarum summersus est. Bonum Consilium erat.

MARIUS: Etiam si Sullae mater adhuc viveret, ille numquam fleret. Nam glandem habet, non cor, in pectore suo.

Itaque legatos miserunt qui Sullam statim desipere desistere et Nolam redire iuberent. Quibus ille 'Nolo.' inquit (nam homo erat Paucorum Verborum). Et cum legati 'Cras' inquiunt 'alii legati venient idem iubentes,' Sulla 'Cras quoque' inquit 'Nolam.' Qui ubi re infecta redierunt, Marius gladiis et pilis cives armavit: quos cum hortatus esset ut hostibus fortiter resisterent ipse equo citato Minturnas fugit, ubi in paludibus se celavit— neque unquam postea idem homo erat.

LECTOR: Et quid Sulpicio accidit?

NOS: Sulpicius caput suum amisit. Id enim nescio quis in rostris infixit, corpore absente. Nimirum Sulla hoc Bonum Exemplum fore putavit; nam eius modi vir erat.

CARMEN SENILE



i. **Erat ecce senex cui nomen Titio,**
Hic pilis mentum tegit, Io!
Sed aura reflans his exit-io—
Vae misero Titio!
(*Clamatur:*) 'Ab initio!'

ii. **Erat ecce senex cui nomen Titio,**
Ebrius vinum bibit. Io!
Consumit opes iterat cum 'Sitio!'
Vae misero Titio!
(*Clamatur:*) 'Ab initio!'

iii. **Erat ecce senex cui nomen Titio,**
Murmuribus magnis fremit, Io!
Quod 'Abstineto', dicunt, 'vitio!'
Vae misero Titio!
(*Clamatur:*) 'Ab initio!'

iv. **Erat ecce senex cui nomen Titio,**
Piscis lapsus hunc fugit, Io!
Quem e portu captarat Itio
Vae misero Titio!
(*Clamatur:*) 'Ab initio!'

v. **Erat ecce senex cui nomen Titio,**
Dum quercum scandit, crus glubit. Io!
Fit altera 'Pellis ex-ped-itio'!
Vae misero Titio!
(*Clamatur:*) 'Ab initio!'

vi. **Erat ecce senex cui nomen Titio,**
Pinguescit, dein macrescit, Io,
Sed mors vitae novae conditio,
Vae misero Titio!
(*Clamatur:*) 'Ab initio!'

vii. **Erat ecce senex cui nomen Titio:**
Ius septem versus sinit. Io!
Plures vetat superstitio;
'Vale!' dic Titio!
(*Clamatur:*) 'Ab initio!'

DIDYMUS.



Marius in paludibus se celat.

VERBA QUADRATA

Infra scripta invenies vestigia verborum quadratorum. Si haec verba recte coniectare potes, et praemium accipere cupis, solutionem tuam ad editorem ante Kalendas Sextiles mitte, una cum verbis tuis (quorum primum erit MILES) eodem modo quadratis. Huius unius verbi vestigium scribe, sed curent seniores ut hexameter sit. Eis qui haec optime fecisse adiudicati erunt praemia dabuntur.

Vestigia

i. Turbatur vates; Saturni filia prodit.
ii. 'Egrediatur'—id est quod lex ea tradita monstrat.
iii. Hic videas quotiens mater minuatur Iacchi.
iv. Indicat haec modo coniugium modo funera lampas.
v. Filius Iapeti remeans saltare iubetur.

Aenigmatis Proximi Solutio

I A S O N
A R A B O
S A L I T
O B I T U
N O T U S

Praemia meruerunt: G. H. Malkie (*Bexhill*) inter seniores, et N. D. M. Ostler (*Tonbridge*) inter iuniores.

Laudandi erant: F. Barber (*Finchley*) inter seniores et T. Weaver (*Vinehall Sch.*) inter iuniores.

LUCIUS.

DE SACRIS NOSTRIS



LECTISTERNIUM

DE DIVITIIS

Lectores nostri haec *De Divitiis* scripta ad nos miserunt:

Divitiae apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio. *Seneca.*
Nihil est tam angusti animi, tamque parvi, quam amare divitias. *Cicero.*
Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est. *Seneca.*
Divitias alius fulvo sibi congerat auro. *Tibullus.*
Nil feret ad manes divitis umbra suos. *Ovidius.*
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas. *Propertius.*

Utrumne
Divitiis homines an sint virtute beati? *Horatius.*
Divitiae grandes homini sunt vivere parce
Aequo animo. *Lucretius.*
Si ventri bene, si lateri pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius. *Horatius.*
Homo doctus in se semper divitias habet. *Phaedrus.*

Nunc lectores nostros rogamus ut non nulla DE AMICITIA scripta ad nos mittant.

ACTA DIVRNA

Haec editio septuagensima secunda, quae de Lacu Trasumeno disserit, Maio mense anno Domini nostri MCMLXX ab Societate Orbiliana in lucem prolata est.

POETA NOSTER

AD NOS DE TEMPORIBUS SUIS SCRIBIT

BELLA BELLA

Vesper erat; Mago senior fessusque labore
Dormitare suam coeperat ante casam;
Nuper in exsilio fratrem sumpsisse venenum
Hannibalem doctus, sollicitatus erat,
Cum puer accurrit ludorum oblitus, avique
Convellit tenera bracchia lenta manu:
'Dic, ave, cur iter Alpinum, cur tanta tulisti
Frigora, cur leti mille repente vias?'
'Longum erat' inquit avus 'quanto pugnarit honore
Poenus in Italia commemorare tibi,
Sed memini cum Flaminius, temerarius ille,
Ducit in insidias armaque tecta suos.
Hinc lacus, hinc surgunt colles, ubi lecta meorum
Vis equitum nebulis abdita mane latet;
Hostis init; ruimus; tot milia perdit ad unum
Aut Poenus gladiis aut Trasumenus aquis;
Quanta manus bibulam iuvenili tingit arenam
Sanguine! Num clades clarior ulla fuit?'
Cui puer, 'Haec iuvenum strages, quid profuit?' Ille
'Nescio, sed numquam clarior ulla dies.'

C. VERBERO.

INGENTIS CLADIS FAMA TRISTISSIMA

Nemo est quin intellegat maximam cladem ab exercitu nostro ad lacum Trasumenum his paucis diebus acceptam esse, qua clade quindecim milia Romanorum in acie caesa, decem milia sparsa sunt fuga, quorum permulti ad urbem nondum revenerunt. Consul ipse **C. Flaminius** Insubrium olim victor in acie fortissime pugnans ab equite Insubri occisus est. Multi antehac famae C. Flamini invidebant: erant qui dictitarent consulem non suo consilio sed militum virtute ac peritia tribunorum victoriam pristinam reportavisse, a populo Romano medio in bello consulem delectum esse non quod virtutes eius imperatoriae satis spectatae essent, sed quia in re publica plebi atque equestri ordini magis favere visus esset quam senatoribus. Consul factus ab inimicis invidis identidem detrectabatur: auspicia eum ementitum esse arguebant; Arimini, non Romae, consulatum inisse; non cum senatu modo sed iam cum dis immortalibus bellum gerere.

Nos multa in C. Flaminium ob invidiam ficta esse credimus: negari autem non potest consulem paulo imprudentiorem ingenio temerario praeditum multa nimis propere egisse, itaque in insidias ab hoste callidissimo summa arte paratas incidisse. Poenas non nequitiae sed imprudentiae Fortunae dedit. Nos ne recusemus quin fateamur eum pro civibus suis mortem honestam oppetisse.

Urbs Roma plena luctus, plena terroris. Quae sit fortuna multorum qui ad lacum Trasumenum pugnaverunt nondum satis compertum est. Multi nondum certum habent quid sperent quidve timeant. Eis qui in urbem cotidie reveniunt circumfunduntur matronae atque propinqui: paucis laeta nuntiantur, pluribus tristissima.

Senatum vero consultare oportet quonam duce, quibus copiis victoribus Poenis resisti possit. Sunt quibus periculum esse videatur ne Hannibal urbem ipsam oppugnare audeat. In hoc discrimine, uno consule occiso, altero ab hostibus intercepto, dictatorem sine mora nominet populus Romanus, ne detrimentum maius res publica accipiat.

IN THEATRO

THESMOPHORIAZUSAE


Nuper notarius noster illam Aristophanis fabulam vidit quae 'Thesmophoriazusae' vocatur. Haec ad nos misit:

Feminae quaedam, Thesmophoria celebrantes, **Euripiden** accusant quod feminis maledixerit.

Euripides igitur, frustra conatus impetrare ut **Agathon** (ille tragicus) causam dicat, persuadet **Mnesilocho** (propinquo suo) ut vestes femineas indutus ad Thesmophoria eat.

Aliae quidem Euripiden de aliis rebus accusant. Mnesilochus autem eum strenue defendere conatur.

Feminae, primo suspicatae, deinde a **Cleisthene** monitae Mnesilochum detectum custodiunt. Postremo Euripides eum custodia liberat.



Hac in pictura **Euripides Mnesilochum** iam rasit, ut femina videatur, dum **Agathon** spectat.
Picturam misit Angela Barlow (*The Attic Players*).

PROVERBIUM HODIERNUM



A cane non magno saepe tenetur Afer

VERBUM QUADRATUM GRAECUM

Vestigia:

a. Multum. c. Capulus.
b. Nimis. d. Vir.

STENUS.

Si haeres, paginam inverte.

SOLUTIONES


VERBUM QUADRATUM GRAECUM

Μ Α Λ Α
Α Γ Α Ν
Λ Α Β Η
Α Ν Η Ρ

PALLOPOLUS NOSTER

Advena fuit Midas.

DE ARGONAUTIS



Iter Ultimum

Quotiens quodvis vehiculum iter ultimum facit, homines semper agmine facto clamant et plaudunt. At casu navis illa ARGO dum in triumpho ducitur non erat qualis fuerat. Nostra sententia, non tota iter conficiet.

AENIGMA DIFFICILLIMUM

i L	ii S	iii L	iv T	v A	vi A	vii O	viii L
ix N	x S	xi E	xii C	xiii M	xiv E	xv E	xvi E
xvii A	xviii E	xix O	xx N	xxi S	xxii I	xxiii A	xxiv N
xxv A	xxvi X	xxvii I	xxviii M	xxix N	xxx E	xxxi U	xxxii S
xxxiii S†	xxxiv I	xxxv D	xxxvi E	xxxvii A	xxxviii O	xxxix A	xl S
xli G	xlii L	xliii O	xliv N	xlv S	xlvi T	xlvii E	xlviii I
xlix M	l I*	li A	lii C	liii C	liv E	lv E	lvi O
lvii E	lviii R	lix E	lx U	lxi N	lxii R	lxiii H	lxiv N

Hippasus vocor, vel Hippasus Durateus. Equo quondam lapsus crus fregi, unde fit ut passum fractum habeam, et uno passu dimidium in adversum, dimidium in obliquum procedam, quamquam omnes in partes mihi licet progredi. Decem comites habebam, a brevissimo, qui quattuor pedes altus erat, usque ad longissimum—novem pedes altum. Equidem altitudinem octo pedum habeo. Magno in contubernio una dormiebamus. Media tamen nocte, contubernio irrupto, hostis noster communis impetum fecit. Solus ego fugi. Ceteros tanta crudelitate dilaceravit ut mane matres eorum vix agnoscere potuissent. Postridie maestus sexaginta quattuor fragmenta comitum meorum, ut sepelirem, composui, fragmentum passu quoque deponens, a brevissimo incipiens* signato, donec fragmentum ultimum ad locum† deposui. Comitem unum, qui novem pedes altus esse debuit, non totum recuperavi, sed illic curtus in genitivo casu iacebat. Dum hoc maestum munus exsequor, exsecrationem in hostem nostrum cantabam.

EXSECRATIO IN HOSTEM CANTATA

Quem mihi das luctum! Feriant te tristia sontem!
Te male Lex perdat! Quae plectit arundine Phoebe,
Plectat te, Chionen! Quod inest Oriente cruenti
Te quoque dilaceret! Nec aeneus obteget altus
Quin pereas murus. Mancae usum postmodo partes
Sic tibi ne teneant! Sed inutile corpus habeto!
Nil mea tela monent? Te, nae, si missile tanget,
Me lea grossa tibi magis aequa videbitur hostis.

Sed Iuppiter ipse nobis benignus erat—subito fulgur fulget, tonitrus auditur. Ecce, comites mei rursus redintegrati, ridentes.

Lector, qui erant hi decem viri? Quo consilio convocati erant? Quis erat ille hostis communis? Levis et Brevis, par clarissimum, tibi multa dicent. Sed tu ipse indicia multa videre possis. Praemium condicionibus solitis recte solventibus dabimus.

DIDYMUS.

Aenigmatis Proximi Solutio

ERECTA, CRETAE, ARCETE, CETERA, CERTAE, TACERE, CERATE, RECTAE, CREATE, ACERET, CETRAE, CARETE.

Praemia dedimus: A. Y. Galama (*Venray*), G. T. Heath (*Oswaldkirk*).

Praemium iunioribus reservatum accepit: N. D. M. Ostler (*Tonbridge*).

PAGINA QUARTA

DE NUMMIS


NOVA PECUNIA

Ut bellum quod cum Karthaginiensibus habemus bene et feliciter geramus, necesse est ut multa mutentur: inter alias res mutabuntur et nummi nostri. Neque enim satis pecuniae habemus ut militibus nostris stipendia pendamus; nec satis argenti vel aeris ut novos nummos percutiamus. Itaque coacti sumus et aeneos nummos minores facere, et, id quod inusitatum est populo Romano, nummos percutere aureos.

I



II



Spectate bene has figuras, ne mercatores vos fraudentur. Semis novus (I) dimidia parte minor est quam semis vetus: facile tamen dinoscere poteritis, quod eodem modo littera S signatur.

III



IV



Similiter Quadrantes tribus pilis agnoscuntur. Novus autem quadrans (III) accuratius ac pulchrius signatur quam vetus (IV); antiqui enim illi quadrantes fundebantur, novus satis parvus est ut feriatur.

V



VI




Argenti autem tanta penuria est ut monetarii nullos novos argenteos ferire possint. Itaque aureos signabunt, eo scilicet auro quod priore bello ab ipsis Poenis cepimus! Sic, ut ita dicam, Punica arte Poenos vincemus . . . Duo erunt aurei: alter (V) pretium habebit xii quadrigatorum, alter vi quadrigatorum; in utroque legatos Romanos Italicosque videbitis, porcum et foedus ferientes.

Fortasse paucis diebus multos quoque huiusmodi (VI) nummos videbitis, post quam Hannibalem devicero. Huic enim Corinthiorum argenteo Poeni, prius quam ad stipendium militarem adhiberent, BYRSA Punicis litteris inscripserunt. Byrsa est Karthaginis arx, quam sane devicto Hannibale expugnabo.

C. FLAMINIVS.

CAVE KALENDAS
SOLUTIONES
OMNIUM AENIGMATUM
AD EDITOREM MITTANTUR
ANTE KALENDAS SEXTILES

AENIGMA VERBALE—LXXII



Vestigia—Transversa

i. Romanorum v, a Vergilio cantatus.
v. Hic progenitor a Vergilio 'quartus pater' vocatur.
x. Caper, cives confunde: obstinati sunt.
xi. Urbs Campana, olim Hannibali amica.
xiii. Deus vinosus.
xiv. A multis agitatis, agita (calcarine?).
xv. Noli recto itinere ire.
xvi. Ut lacte turbetur, praesidii est.
xx. 'Nec vox hominem . . .' (*Vergilius*).
xxii. Cum haec apparet, fugit nox.
xxiv. Quid facit viator?
xxvi. Dominus est.
xxvii. Nunc, nuper, mox.
xxviii. Latii aliter Latii incolae.
xxx. Non super, non angusti; sed elevati.
xxxii. Si tu me sequeris, timore commoveor.
xxxiii. Terrenusne est? E contrario.
xxxiv. Speculor (neque intus fleo?).
xxxv. Praesto est, et sedat confuse.
xxxvi. Hoc rem tangere est recte coniectare.
xxxvii. Haec exta intus esse solent.
xxxviii. In honesta mente subtemen videtur.
xxxix. Is qui ita est, non xxxv.

Vestigia—Erecta

i. Pater quem i (*trans.*) umeris olim portavit.
ii. Deus xxxiii, tribus dentibus armatus.
iii. Urite—confundite! Evellit.
iv. Femina sapiens (si sequitur parvum ornamentum).
vi. Pomum parvum.
vii. Adpropinquat—et abit, ut videtur!
viii. Usus et faenus est.
ix. Urbs antiqua Persica ussa est prave.
x. Curator ovium.
xii. Si ita faciatis, diligatis.
xvii. E Silvia tenuia apparent.
xviii. Collocare vel decernere est.
xix. Orbatus non est magistratus.
xxi. Muscula confusa oppidum Picenum init.
xxiii. Opaca non sunt aprica.
xxv. Dido poetarum.
xxix. Cruciat agitatve.
xxxi. Oppidulum ubi Vergilius natus est.
xxxii. Quid agitat molem—et corpus?
xxxiii. Hinc illuc transporta.

Si praemium accipere cupis, quin solutionem tuam—*una cum novis vestigiis verborum i (trans) et v*—ad editorem mittis ante Kalendas Sextiles? Tria praemia dabuntur eis qui et aenigma recte solverint et optima vestigia finxisse adiudicati erunt.

Aenigmatis Proximi Solutio

Trans: i. Manumittens, viii. Amores, x. Iurat, xiii. Annuum, xv. Sat, xvi. Ineam, xvii. Ostia, xviii. Treveri, xxi. Meas, xxiii. Ire, xxiv. Sano, xxvii. Priscus, xxx. Spari, xxxii. Faris, xxxiii. Ite, xxxiv. Tripes, xxxv. Alati, xxxvi. Fauste, xxxvii. Calamitates.

Erect: i. Maria, ii. Amantes, iii. Urnae, iv. Meum, v. Timores, vi. Tussis, vii. Nati, ix. Onera, xi. Rati, xii. Trado, xiv. Uberior, xix. Viritim, xx. Insiste, xxi. Musca, xxii. Spreta, xxv. Aures, xxvi. Fata, xxviii. Capua, xxix. Asses, xxxi. Pila, xxxii. Fiat.

Praemia meruerunt: i. C. Reed (*Monkwearmouth G.S., Sunderland*), ii. A. T. P. Evans (*The Skinners' Sch., Tunbridge Wells*), iii. J. Barry (*Sevenoaks Sch.*).

Laudandi erant: N. Madge (*Cannock G.S.*), M. Heath (*Ampleforth Coll.*), Evelyne Metais (*Pau*).

ACTA MINORA

PALLOPOLUS NOSTER

Olim Pallopolus et Dexius in taberna sedebant in qua vestimenta deis et heroibus vendebant. Subito ianua aperta est; homo intravit cui caput erat ingens, quod pallio sordido diligenter celabat.

Dexius processit; se non proiecit sed caput paululum demisit. Homo 'Salve!' inquit. 'Habesne pallium bonum et magnum quo caput facile celabitur?'

Cui Dexius 'Omnia nostra pallia' respondit 'et optima et maxima sunt.' His verbis dictis, in interiorem partem tabernae cum Pallopolo processit. Omnia pallia celeriter inspexit minimumque elegit. 'Satis magnum est' inquit 'homini tam stulto.' Neque in tabernam rediit sed hominem per rimam quandam spectavit. Mox 'Veni huc!' inquit 'O Pallopole. Spectaculum enim mirum videbis.'

Pallopolus quoque hominem per rimam spectavit. Sed quid vidit? Homo primum circum tabernam magna diligentia circumspexit, deinde sollicito vultu pallium e capite exuit. Sub pallio erat—purpurea tiara. Pallopolus attonitus fuit, sed Dexius 'Exspecta!' inquit. 'Noli oculum e rima removere.'

Mox, ubi homo purpuream tiaram summo pudore removit, Pallopolus 'Per deos immortales!' exclamavit. 'Aures asini habet!'


Risit Dexius. 'Nonne eum statim agnovisti? Abhinc paucos menses in tabernam intravit et omnia quae tetigit in aurum versa sunt. Nonne tu quoque meministi?'

Cui Pallopolus 'Omnia' inquit 'nunc intellego. Nam harundines quaedam, ut ferunt, vento motae, de auribus asini murmurant. Ille stultus est sed benignus. Pallio maximo dignus est.'

His verbis dictis, pallium maximum homini dedit quod ille laetissimo vultu accepit. Deinde, ubi caput iterum novo pallio celavit gratiasque Pallopolo egit, e taberna quam celerrime discessit.

Quis fuit advena? Si haeres, paginam tertiam vide.

INSULAE CELATAE



Potesne eas reperire?

Supra positas videbis non nullas picturas quibus pictor noster duodecim insulas depinxit:

Si has duodecim insulas reperire potes, et praemium accipere cupis, solutionem tuam ad editorem ante Kalendas Sextiles mitte, una cum duabus aliis insulis eodem modo celatis. Tria praemia dabuntur eis qui haec optime fecisse adiudicati erunt. **Necesse est te minus xvi annos natum (vel natam) esse.**

Aenigmatis Proximi Solutio

Marina erant: Balanus. Mugil, Phoca, Sardus, Stella, Sparus, Astacus, Murena, Dentix, Serra, Orcynus, Passer.

Praemia meruerunt: i. W. P. Wallace (*Dulwich Coll.*), ii. Jacqueline Longford (*Folkestone Girls' G.S.*), iii. Mary Hopkins (*Brecon Girls' G.S.*).

Laudandi erant: P. E. Hiorns (*Redruth G.S.*), S. Wigg (*Vinehall Sch., Robertsbridge*), R. Dixon (*St. Aidan's G.S., Sunderland*), Pauline McManemy (*St. Anthony's G.S., Sunderland*), A. Gibbon (*Holmwood Sch., Formby*), Anne Hennin (*Notre Dame H.S., St. Helens*), Jean Adamson (*Glenrothes*).

CAELIUS CALLIDUS

'Facta canam; sed erunt qui me finxisse loquantur.'



Olim Caelius noster ad vicum parvum venit. Incolae (viri divites sed stultissimi) suam lunam rogabant. Caelius lunam pro auro promisit.

Alveum aqua completum in foro posuit. Ubi luna coorta est, eius imago in alveo apparuit. Sine mora Caelius cum auro effugit.




LECTORUM IOCA



Omnes ei lectores quorum ioca in lucem proferimus praemia accipiunt. Quin tu iocum tuum ad editorem mittis?

Praemonitus est Praemunitus



Pater: Si de illa caute cecideris et crus fregeris, mi fili, noli ad me currere!
Kathleen Holden (*The Brooksbank Sch., Elland*).

Muscipula Maxima



'Tuam viam compendiariam non magni aestimo.'
R. Arrowsmith (*Northern G.S., Portsmouth*).

Alter Arrius

Marcus in ludo sedet.
Magister: Marce, da mihi librum.
Marcus: Nullum librum 'abeo.
Magister: Nullum librum habeo, nullum librum habes, nullum librum habet, nullum librum habemus, nullum librum habetis, nullum librum habent.
Marcus: Mehercule! Quis omnes libros 'abet?
Lesley Deeming et Jayne Udall (*Brierley Hill G.S.*).

Catulus Dulcissimus



Cur aufugis, Fabulle? Hic est catulus dulcissimus.
Susan Morgan (*Oswestry Girls' H.S.*).

Numquam Contentus



'Nimis piscium, parum caligarum!'
M. Gordon-Smith (*Vinehall Sch., Robertsbridge*).

Tempus Primum



'Vos iuniores, fortasse, nunc primum equum intravistis . . .'


IPSE DIXIT

POPPAEDIUS NAUTA RURSUS



'Negat se his quinquaginta diebus se lavisse!'

AENIGMA VERBALE FACILIUS



Vestigia—Transversa

i. Pollucis frater est in caelo.
v. Loca edita et munita.
viii. Hoc est quod possideo.
ix. Reges erunt.
x. Sedat confuse; non procul est.
xii. Exsistetis.
xiv. Numerus singularis.
xvii. Bis cieo turbate; oppones.
xix. Non oblitus.
xxi. Quid in tenebris videtur?
xxiv. Via arta turbata mutata est.
xxviii. Dea est—una ex novem.
xxix. Pars domus (nigrane est?).
xxxi. Id quod non ignoratur.
xxxii. Priora turbata sunt: vi trahor.
xxxiii. Cibusne sumus? An in lucem proferimur?
xxxiv. 'Quis custodiet . . . custodes?'
xxxv. Sanae esse debent—in corporibus sanis.

Vestigia—Erecta

i. Hoc non dubium est.
ii. Aquila fortasse—vel tubae sonitus.
iii. Totum nemo turbatur.
iv. In patre Troiano non porro est.
v. Nullo modo odio sunt.
vi. Necati.
vii. Non nimis est—nec parum!
xi. Verbis expressum, non factum.
xiii. Ubi est? Non hic.
xv. Dic 'minime!'
xvi. In isto ludo dissipato est hominum inopia.
xviii. Pecunia data, accipies.
xx. In genu timido est usurpare.
xxii. Fortasse aggere fossaque circumdabit.
xxiii. Fabulam dicis.
xxiv. Hi flare solent.
xxv. Artes confunde! Naves fiant.
xxvi. Vi et . . . oppugnare.
xxvii. Quid melius est argento?
xxx. Quid udius est terra?

Si minus xvi annos natus (vel nata) es et praemium accipere vis, solutionem tuam — *una cum novis vestigiis verborum i (trans.) et v (trans.)* — ad editorem mitte ante Kalendas Sextiles. Tria praemia dabuntur eis qui et aenigma recte solverint et optima vestigia finxisse adiudicati erunt.

Aenigmatis Proximi Solutio

Trans: i. Labor, iv. Paris, vii. Transportat, ix. Abi, x. Statueratis, xii. Facile Dictu, xvi. Aro, xvii. Mali Comites, xviii. Surge, xix. Rotae.

Erect: i. Litus, ii. Beata, iii. Res Publicae, iv. Procedimus, v. Rotat, vi. Satis, viii. Abiit, xi. Tiara, xii. Fames, xiii. Color, xiv. Citat, xv. Ursae.

Praemia meruerunt: i. T. Fitzsimmons (*The Hill Sch., Westerham*), ii. Evelyne Metais (*Pau*), iii. P. Hirsch (*Vinehall Sch., Robertsbridge*).

Laudandi erant: D. J. Hornby (*The Pilgrims' Sch., Winchester*), Elizabeth Myers (*Cannock G.S.*), Elizabeth Manson (*Waid Acad., Anstruther*), Christina Davies (*Brecon Girls' G.S.*), Gillian Anderson (*Albyn Sch., Aberdeen*), M. S. Whitfield (*Holmwood Sch., Formby*), R. M. Townsend (*St. Peter's Sch., York*), J. C. H. Evans (*Taverham Hall, Norwich*), M. J. Franklin (*Dulwich Coll.*).

Graeculus Esuriens



'Ego imperavi ut leo cibo abstineat—haud Christianus!'
G. McOrmod (*Kingsmead Sch., Hoylake*).

Ultima Verba



'Numquam iterum funem vili emam!'
J. P. R. Nash (*Vinehall Sch., Robertsbridge*).

ACTA MINIMA
LECTORUM IOCA MINIMA

Omnes ei lectores quorum ioca in lucem proferimus praemia accipiunt. Quin tu iocum tuum ad editorem mittis?

In Arena



'Putasne nos leones edentes visuros?'
S. Goodrich (*Cothill House, Abingdon*).

Aenigmatis Proximi Solutio

Ludi erant: Crotalum, Arcus, Discus, Cursus, Saltus, Follis.


Praemia meruerunt: i. Stephane Liagre (*Ronca*), ii. Elizabeth Stubbs (*North Walsham Girls' H.S.*), iii. J. W. A. Irvine (*Packwood Haugh, Shrewsbury*).

Laudandi erant: S. Prendergast (*Holmwood Sch., Formby*), J. P. R. Nash (*Vinehall Sch., Robertsbridge*), Helen Blount (*Redland H.S.*), Jean Blackett et Elizabeth Wotherspoon (*North Berwick H.S.*), S. Golding (*Barham*).


MUSICA CELATA

Potesne ea reperire?

Infra positas videbis non nullas picturas quibus pictor noster sex musica depinxit, eodem modo celata quo verbum MUSICA his verbis celatum est:



Si haec sex musica reperire potes, et praemium accipere cupis, solutionem tuam ad editorem ante Kalendas Sextiles mitte, una cum una alia re musica eodem modo celata vel pictura tua depicta. **Necesse est te minus xiv annos natum (vel natam) esse.**



GLOSSARIUM

Abdo: *hide.*
Abhinc: *ago.*
Abripio: *snatch away.*
Acuo: *sharpen.*
Adhortator: *exhorter.*
Adipiscor: *obtain.*
Adiudico: *judge.*
Adspergo: *sprinkling.*
Adsurgo: *rise up.*
Advena: *stranger.*
Adversus: *opposite.*
Aegre: *with difficulty.*
Aeneus: *brazen.*
Aenigma: *puzzle.*
Aes: *bronze.*
Aestimo: *value.*
Agito: *agitate.*
Agnosco: *recognise.*
Ales: *bird.*
Alveus: *trough.*
Aliter: *otherwise.*
Amita: *aunt.*
Amitto: *lose.*
Angustiae: *narrow pass.*
Angustus: *narrow.*
Antesignanus: *before the standard.*
Appareo: *am evident.*
Apricus: *sunny.*
Arca: *chest.*
Arceo: *keep off.*
Ardor: *enthusiasm.*
Arena: *sand.*
Armatura: *troops.*
Artus: *tight.*
Asinus: *ass.*
Attonitus: *astonished.*
Aufugio: *run away.*
Aura: *breeze.*
Auris: *ear.*
Avus: *grandfather.*

Bellus: *beautiful.*
Bibo: *drink.*
Bibulus: *thirsty.*

Caecus: *blind.*
Calcar: *spur.*
Caliga: *boot.*
Caligo: *darkness.*
Callidus: *shrewd.*
Calvus: *bald.*
Candeo: *gleam.*
Capulus: *hilt.*
Caro: *flesh.*
Catulus: *cub.*
Cautes: *cliff.*
Caveo: *beware.*
Celo: *hide.*
Cerebrum: *brain.*
Certamen: *contest.*
Ceterum: *but.*
Circumfundo: *surround.*
Citatus: *quick.*
Citus: *quick.*
Clades: *disaster.*
Compendiarius: *short.*
Comperio: *ascertain.*
Competo: *suffice.*
Condo: *found.*
Confertus: *crowded.*
Congero: *pile up.*
Conglobo: *mass together.*
Conicio: *hurl.*
Conloquium: *conference.*
Consido: *encamp.*
Consisto: *halt.*
Consobrinus: *cousin.*
Convello: *pluck.*
Coorior: *arise.*
Cor: *heart.*
Cotidie: *daily.*
Crepida: *sole.*
Crus: *leg.*
Curo: *attend to.*

Decerno: *decide.*
Decipio: *deceive.*
Demitto: *lower.*
Depingo: *depict.*
Desipio: *play the fool.*
Desisto: *cease.*
Detego: *detect.*
Detrecto: *criticise.*
Detrimentum: *loss.*
Dimidius: *half.*
Dinosco: *distinguish.*
Discedo: *go away.*
Discrimen: *crisis.*
Dissero: *discuss.*
Dissonus: *discordant.*
Durus: *hard.*

Ebrius: *drunk.*
Editus: *lofty.*
Edo: *eat.*
Eligo: *choose.*
Eluvies: *flood.*
Ementior: *pretend.*
Emo: *buy.*
Eruptio: *sortie.*
Esurio: *am hungry.*
Evado: *escape.*
Evello: *tear out.*
Excidium: *destruction.*
Exemplar: *copy.*
Exitium: *ruin.*
Expedio: *extricate; prepare.*
Exta: *entrails.*
Exuo: *take off.*

Fabula: *play.*
Faenus: *interest.*
Fama: *report.*
Fames: *hunger.*
Fauces: *entrance.*
Faveo: *support.*
Feriae: *holidays.*
Ferio: *strike.*
Ferme: *about.*
Fero: *say.*
Fides: *trust.*
Fingo: *make up.*
Fleo: *weep.*
Flo: *blow.*
Flocci facio: *care a straw for.*
Foede: *foully.*
Foedus: *treaty.*
Fors: *chance.*
Fortasse: *perhaps.*
Fraudo: *cheat.*
Fremo: *murmur.*
Fulgeo: *shine.*
Fundo: *pour out.*
Funis: *rope.*

Gemitus: *groan.*
Genus: *kind.*
Glans: *cannon ball.*
Globus: *mass.*
Glubo: *peel.*
Gurges: *flood.*

Haereo: *am stuck.*
Harundo: *reed.*
Hastatus: *spearman.*
Haurio: *swallow.*
Hirsutus: *hairy.*
Hodiernus: *of today.*

Ictus: *blow.*
Identidem: *repeatedly.*
Impavidus: *calm.*
Impetro: *gain a request.*
Imprimo: *print.*
Improvisus: *unexpected.*
Incalesco: *get warm.*
Inconsultus: *rash.*
Induo: *put on.*
Infectus: *unaccomplished.*
Infestus: *hostile.*
Infigo: *fix.*
Insignis: *distinguished.*
Intercipio: *cut off.*
Inusitatus: *unusual.*
Invado: *attack.*
Inveho: *convey.*
Invideo: *envy.*

Iocus: *joke.*
Ius: *justice.*

Laboro: *am hard pressed.*
Lacrima: *tear.*
Lateo: *lurk.*
Lectisternium: *strewing of couches.*
Lector: *reader.*
Letum: *death.*
Libenter: *willingly.*
Luctus: *mourning.*

Macresco: *grow lean.*
Maledico: *slander.*
Manes: *ghosts.*
Memini: *remember.*
Mentum: *chin.*
Meta: *goal.*
Moles: *mass.*
Mollis: *soft.*
Monetarius: *Mint official.*
Mos: *custom.*
Muscipula: *mousetrap.*
Muto: *change.*

Naufragium: *shipwreck.*
Nebula: *mist.*
Nequiquam: *in vain.*
Nequitia: *wickedness.*
Nimis: *too much.*
Noscito: *recognise.*
Nosco: *get to know.*
Notarius: *reporter.*
Nubes: *cloud.*
Nummus: *coin.*

Obicio: *expose.*
Obsto: *obstruct.*
Obtrunco: *kill.*
Occasus: *setting.*
Odi: *hate.*
Onero: *load.*
Opes: *wealth.*
Orbatus: *deprived.*

Pallium: *cloak.*
Palus: *marsh.*
Pando: *spread out.*
Par: *pair.*
Parce: *sparingly.*
Pariter: *equally.*
Parum: *too little.*
Patesco: *open.*
Patior: *allow.*
Paululum: *a little.*
Paveo: *tremble.*
Pavor: *panic.*
Pendo: *weigh.*
Penuria: *shortage.*
Perangustus: *very narrow.*
Percello: *terrify.*
Percutio: *strike.*
Perditus: *desperate.*
Perimo: *destroy.*
Peritia: *skill.*
Pictor: *artist.*
Pila: *ball.*
Pilum: *javelin.*
Pilus: *hair.*
Pinguesco: *grow fat.*
Polus: *heaven.*
Pomum: *fruit.*
Popularis: *fellow countryman.*
Porcus: *pig.*
Porro: *forwards.*
Praecipito: *throw headlong.*
Praecipue: *especially.*
Praeditus: *endowed.*
Praeficio: *put in command.*
Praemoneo: *forewarn.*
Praemunio: *forearm.*
Praeruptus: *steep.*
Praeterea: *besides.*
Pristinus: *former.*
Probus: *honest.*
Progenitor: *ancestor.*
Proicio: *hurl.*
Propere: *hastily.*
Propinquus: *relative.*
Proruo: *destroy.*
Prosterno: *flatten.*
Prosum: *benefit.*
Pudor: *shame.*

Quadrans: *a coin.*
Quadrigatus: *a coin.*
Quadro: *square.*
Quercus: *oak.*
Quilibet: *any.*
Quin: *why not?*
Quoad: *as far as.*
Quoque: *also.*
Quotiens: *every time.*

Rado: *shave.*
Raptim: *hastily.*
Recuso: *refuse.*
Reflo: *blow back*
Regia: *palace.*
Reor: *think.*
Repo: *creep.*
Rima: *crack..*
Rostra: *platform.*
Rudis: *uncultivated.*
Rupes: *rock.*

Saltus: *pass.*
Salum: *sea.*
Scando: *climb.*
Scilicet: *doubtless.*
Semis: *a coin.*
Sido: *sink.*
Signo: *stamp (money).*
Sitio: *thirst.*
Sollicitus: *anxious.*
Spargo: *scatter.*
Sterno: *flatten.*
Stipendium: *pay.*
Strages: *massacre.*
Strepitus: *noise.*
Stringo: *draw.*
Subtemen: *web.*
Suetus: *usual.*
Supinus: *on one's back.*
Sursum: *up.*
Sutor: *cobbler.*


Taberna: *shop.*
Tegmen: *shell.*
Tego: *cover.*
Temerarius: *rash.*
Tenebrae: *darkness.*
Tenuis: *thin.*
Testudo: *tortoise.*
Tholus: *dome.*
Tiara: *crown.*
Titulus: *inscription.*
Triarius: *of the third line.*
Trucido: *slaughter.*
Tueor: *protect.*

Udus: *wet.*
Umerus: *shoulder.*
Unguis: *talon.*

Vada: *shallows.*
Valde: *very.*
Vates: *poet.*
Venter: *stomach.*
Vesper: *evening.*
Vili: *cheaply.*
Vinosus: *of wine.*
Volo: *fly.*
Votum: *vow.*
Vultus: *expression.*

ILLA RES TROIANA

ITINERA ULIXIS



BESTIAE FABULOSAE
XVIII T—TESTUDO

Proverbium—Testudo volat
(id quod fieri non potest).



Ad salum testudo repit
Unguium cum par hanc cepit;
Aquila 'st, quae tollit sursum—
Citiorem sueto cursum.
'Quod non fit, fit hoc in polo,'
Putat, 'nam testudo volo.
O si petam Iovis sedem!
Mene cupit Ganymedem?'
Subito remissa cadit,
Et supina terram adit.
Sperat ales se fracturum
Contra rupem tegmen durum.
'Si qua dulcis intus caro,
Cenam' putat, 'inde paro.'
Forte fulget cautes aput
Aeschyli tam calvum caput;



Candet tholus, aegre tegit
Subter vatem, qui nunc legit
Ipse suum opus, rem non
Mollem—(erat *Agamemnon*!)
Id quod (ipse confitetur)
Vix intelligendum retur.
Illa: 'Potius di date,
Opus servem, caeso vate.
Mollem feriam poetam,
Scripta vitem, duram metam.
* ' ? * *FRAGOR*! * ' ? *
En cerebri fit adspergo!
Aeschylus: 'Ad Orcum ergo!'
'Vobis lyram (O di, grates!)
Cum processero quo vates,
Factam tegmine de nudo
Caelo ponam!' Sic testudo.

DIDYMUS.

